



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens I. & II. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas Missalis
- Cum Præfatione seu Præmonitione necessaria Bibliopolæ ad Lectorem

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindellicorum, 1740

VD18 10783695-002

Præfatio Seu Præmonitio necessaria Bibliopolæ ad Benevolum Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40113

PRÆFATIO SEU PRÆMONITIO
 necessaria Bibliopolæ
 ad Benevolum Lectorem.



Retiosos tot inter Thesauros, quos ferax sublimium Ingeniorum fœcunditas doctæ, doctorumque librorum avidæ posteritati reliquerat, in eruendis saluberrimis de Sacris Ritibus, præceptis, & institutis, *Theaurus ille Sacrorum Rituum* à celeberrimo Authore Bartholomæo Gavanto Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, vulgò Barnabitarum, in lucem editus, jure merito principem obtinet locum, sive doctrinam spectes, sive diligentiam. Etenim si cætera deessent argumenta, Scriptoris Ingenium, & Eruditionem plùs satis probarent tot ejus operis Editiones, ubivis locorum in tantâ copiâ vulgatæ, ut vix ac ne vix quidem opus occurreret toties prælo commissum, quod ætatem tulerit, & cui sua semper constiterit fama, & estimatio. Jam inde ab Anno 1628. Romanis typis unico tomò in folio emiserat in lucem Gavantus ipse sua commentaria sub hoc titulo: *Commentaria in Rubricas Missalis & Breviarii*. Prodiit paulò post Anno scilicet 1630. Opus hoc duobus tomis, quaternariâ (ut ajunt) formâ, novo hoc inscriptum titulo, *Theaurus Sacrorum Rituum, seu Commentaria in Rubricas Missalis, & Breviarii*. Ex hac posteriore ab ipso Authore aucta, & recognita, Venetiis, Parisiis, Lugduni, ac præcipuè Colonia, Anno 1734. & 1736. ac alibi insignium & illustrium locorum usque ad quartam supra vigesimam novæ curatæ sunt Editiones: ex quibus non solum publicæ, sed & privatæ Bibliothecæ pretioso hoc thesauro fuère ditatæ, ac illustratæ. Intereâ thesaurum hunc novis eorundem Sacrorum Rituum observationibus, & additionibus tot quasi splendidissimis gemmis novissimè locupletio- rem reddidit Eruditissimus & per plurimos annos in Congregatione Sacrorum Rituum consultor peritissimus Cajetanus Maria Merati Clericus Regularis Congregationis S. Pauli.

Hujus igitur excellens pretium, & emergens ex earundem novarum observationum accuratâ lectione pretiosum emolumentum
 a 3 erudi-

cruditus quisque tantò avidiùs appetet, quo maturiùs accuratam Sacrorum Rituum observantiam Divinum quoddam oculos animosq; potenter rapiens Romano-Catholicæ Ecclesiæ ornamentum hucusq; fuisse noverit. Quibus proin justis desideriis partim ut satisfiat, partim, ut illustria Gavanti opera toties impressa, ac privatis, & publicis Bibliothecis inserra suos ex affuso novarum istarum additionum lumine uberiores fructus, finemque fortiantur, memoratas Merati novas observationes nova quoque, eaque utiliore methodo (iis præcipuè, quibus ad manus opera Gavanti jam sunt) imprimere, & quoddam laudati *Thesauri supplementum* docto orbi communicare statui.

Jam verò quod Commentariis Gavanti facilius capiendis serviat, dictas novas observationes, ac additiones ita distribuere consultum videbatur, ut ex Coloniensibus postremis Editionibus thesauri Gavanti Anno 1734. & 1736. emanatis in paginas & columnas ritè concinnatas attemperatæ essent; eo modo, & ordine, quo locus & textus genuinus Gavanti in suo thesauro facilè ex annotata pagina, & columna, in additionibus queat reperiri à studioso lectore.

Denique hoc unum notandum superest, alias videlicet thesauri Gavanti præter Colonienses, Venetiis, locisque variis impressas reperiri Editiones; quæ cum in paginis & columnis cum novis nostris, quas damus, observationibus Merati non admodum convenient, ut nostræ tamen cum illis usui quoque, commodoque esse queant, iis nostras has novas perfacilè conciliandas esse præmoneo. Si nimirum in iis alienis Editionibus non juxta paginas & columnas, sed secundum *Partes & titulos Tomi I. in Rubricas Missalis: in Rubricas verò Breviarii secundum sectiones & Capitula Tomi II.* benevolus Lector se reflectere velit, uti & moneo, quod debeat.

His ita positis, habebis benevole Lector observationes & additiones Merati, nec non & thesaurum Gavanti recens quasi in lucem erutum, quin hunc & illas alibi & aliena in tellure quæras: & si Gavanti thesaurus toties typis in lucem publicam editus summo applausu semper fuit exceptus, tu quoque eundem majori favore excipe; ubi jam in majus meliusque provectus editur. *Vale & meum laborem industriamque tuo patrocinio fove.*

